

riam futuri operis. *Gen. 1. v. 2.* Et per lucem, corporeum quiddam, suis extremitatibus sic determinatum, ut suo recessu noctem, accessu verò diem introduxerit. *Gen. 1. vers. 4. 5.* Alii aliter accipiunt: *Vide Pererium super Genesin.*

11. *Secundò* fecit firmamentum, sive expansionem & extensionem ex aquis. Ubi quæritur de aquis supercœlestibus, quas revera supra firmamentum existere statuimus.

12. *Tertio* terminos aquis constituit, ne terram aquis humiliorem operirent. *Gen. 1. vers. 9. Psal. 104. v. 6. 7.* & terram germinare fecit, *Genes. 1. v. 11.*

13. *Quarto* fecit luminaria magna, Solem & Lunam, & stellas, *Gen. 1. v. 14.* impegitque in Solem lucem primo die creatam. Tribuitur enim Soli officium lucis. Hic de virtute cœli & stellarum quæritur. *Astronomiam & Physicam commendamus: Superstitiosam verò astrologiam rejicimus. Vide Psal. 104. v. 20. 22 23. & Ps. 136. v. 5.*

14. *Quinto* die pisces & volucres ex aquis.

15. *Sexto*, bestias, jumenta, & reptilia, ex terra. Ubi nota; quòd bestiæ hominibus noxiæ sint, id non creatori, sed lapsui imputandum esse.

16. Eodem sexto die Deus fecit homines, Adamum ex terra, inspirato ei spiraculo vitæ, Et Hevam totam ex costa (animata) lateris